ULTIMUM
HONORIS OFFICIUM,

VIRO

PRÆCELL. AMPLISSIMO atq; CLARISSIMO

D. M. GEORGIO WENDIO,

RECTORI de Gymnasio Thoruniensi
& Re Literaria olim
meritissimo.

Cum Animam A. M. DCC. V. d. 7. Julii
Christo pie commendasset,
Corpusqvè Ejus Cryptæ Marianæ
d. 12. p. m. Christianis ritibus
inferetur,

FAUTORES ET AMICI
Ministerii Ecclesiastico - Thoruniensis
præstare voluerunt

Anno, qvo ingeminamus:
CastIgatIs, DoMIne, In gratIa parCe.

THORUNII,
EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII,

Qui senio fractæ sunt vires atqve labore,
Is reqviem qværens otia tuta petit.
Sic Rector noster senio fractusqve labore,
Transiit ad celsi climata diva poli.
Illic tranqvillæ consumit tempora pacis,
Angelicisqvè Choris associatus ovat.

In Honorem B. Dni. Rectoris septuagenarii scripsit
MICHAEL RINGELTAUB,
Eccl. T. & P. Neopól.

Difficilis labor est juveniles flectere mentes,
Ac varias artes posse docere benè.
Qvo gravior labor est, hoc merces major habetur
In cœlo, qveis sunt Sceptra regenda Scholæ.
Hac qvoqve jam gaudet *Rector* mercede *beatus*,
Et capit è dextra præmia summa DEI.

Piis manibus Amici olim conjunctissimi, nunc desideratissimi inter concatenatos labores deproperabat
M. GODOFREDUS WEISSIUS,
ad D. M. Ecclesiastes

QQondam Zeno fuit Rector przclarus Athenis,
Qvem casto erudiit docta Minerva sinu,
Ut posset Studiosis se præbere Magistrum
Millibus ad votum, non sine sorte suâ:
Thorunio, si parva licet componere magnis,
WENDIUS officio Zeno vel alter erat;
Commissæ studuit, svavi faciliqvè, juventæ
Artes ingenuas insinuare, modo.
Discipulos veluti Pater est complexus amore,
Omne tamen prohibens impietatis opus.
Ingenium, probitas, doctrina, modestia, virtus
Hunc Pyladem poterant reddere jure piis
Cur cito debilitatus abit, qvid conqverar? Eheu
Tristitiam neqveunt verba referre meam!
Ast vivit felix, jam carpit gaudia cœli,
In qvem nec cristas erigit hostis atrox.
Sedibus in superis magno splendore coruscat,
Ceu fulgent nitidi sidera clara poli.
Gratulor ac doleo: Cinerès salvete, valete,
Salve cœlituum portio, vive, vale!

Ultimum honoris officium piis exhibere manibus voluit ac debuit
MARTINUS OLOFF,
Eccl. ad D. Mar. Polon.

WENDIUS heu! cecidit, jugulatus cuspide mortis,
Gymnasii Nostri qvi MODERATOR erat:
CARPOPHOROS inter PLANTANTIS Nomine Clarus, (a)
Aonidum celebris Gloria Magna Chori:
Cujus Doctrinam bibulis haustum veniebant
Auribus, haud pauci Discipuli Juvenes.
Qvid juvat (heu!) Charites toties coluisse Sorores?
Qvidve in Parnassi secubuisse Jugis?
Qvid juvat ornatum variis Virtutibus esse?
En cadit, & Virtus qvem beat alma Virum!
Qvid juvat Ore pio toties docuisse Juventam,
Si tamen & Doctos Vis rapit atra Necis?
O qvàm Morta SCHOLAM viduas DOCTORE nefanda;
Uxoremqve Viro; Pignora chara Patre!
Pulpita RECTOREM deflete; Juventaqve luge;
Vos qvoqve COLLEGÆ: Vestra Corona jacet.
Heu! benè RECTORIS complevit Munia cuncta,
Punctum RECTORIS gnaviter omne tulit.
Pervigil in Studiis, in Munere sedulus, atqve
Formandæ Pubis gnarus, & Arte gravis.
Qvid meruit? Podagram, scholico de pulvere Tussim,
Cum Tussi Tabem, qvâ superante, Necem!
Hic honor, hoc pretium est, hoc defudantis in Antro:
Præmia sunt vulgò pulverulenta Sholæ!
Sic Mundi mos est perversus: at Arbiter Orbis,
RECTOR RECTORUM Munera digna refert.
Post tot, post tantos, exantlatosqve Labores,
Amphitryoniadæ reddita grata Qvies.
Parendum est, qvoqvò Summi vocat alma Voluntas,
Ipsus qvæ curvat, recta qvis illa dabit? (b)
O TE Felicem! qvi Mole qviescis ab omni;
Curarum liber gaudia mille capis!
Nullos jam sentis Morbos, Chiragra Phthisisqve
Cessant, & Cœli Regna beata colis!
Nec TE perpetuus nigricanti somnus arenâ
Urgebit, Famam vivere Musa jubet.
Vive, valeqve, Choris, VIR FELIX, juncte Beatis,
Cum sanctis Geniis vive, DEUMqve cane:
Molliter interea reqviescant ossa sepulchro,
Nominis atqve Tui vivat in orbe Decus!
Ast DEUS ipse (suâ nunc pro Bonitate) Juventæ
Prospiciat, Dignum substituatqve VIRUM!

Condolens f.
SAMUEL Schönwaldt/
Ecclesiastes Nov- Oppidanus.

(a) Conf. Programma in Introductione B. Viri publicatum Anno 1695. 16. Junii.
(b) Coheleth VII. 14.

SIc placuir superis, mortem ut Vir doctus obiret,
Directorqve Scholæ WENDIUS, arte potens.

Non

Non qvod nos volumus, ſed qvod vult Numen id ipſum
Fit, ſæpe in caſſum noſtraqve vota cadunt.
Decretum cœli ſanctum eſt, obſiſtere fruſtra
Conaris; dicas: Sit reqvies animæ.
Dicimus hoc functo vitâ, nos atqve paramus,
Ne nos incautos opprimat illa dies.

Supremo honori ſcribebam condolens

GODOFREDUS RACKI, ad S. Georg. Eccl.

NAtales qvondam largita Sileſia tellus
WENDENIO, funus Pruſſia noſtra dedit.
Ingenii dotes formavIt Lipſia dextrè,
Thorunium fructus Breslaqve Lauba tulit.
Annos dignus erat nobiſcum vivere plures,
Utpotè cùi curæ grex juvenilis erat.
Vivere ſed ceſſat, plangentes hèicce relinqvit
Vitæ conſortem, Gymnaſium, ſobolem.
Et lingvâ & ſcriptis permultùm profuit Orbi,
Et fecit docto qvæ facienda Viro.
Hinc poſt fata ſuo non eſt orbandus honore:
Orator, Vates ac Polyhiſtor erat.

Epitaphii loco in laudem Viri, dum viveret, de Gymnaſio & re literaria benè meriti deproperabat

DANIEL Köhler / Eccl. ad D. Mariæ.

PLangite Muſarum Cultores buſta ſacrata
RECTORIS Clari, ritè docentis opus.
Plangite Vos Mœſti, lachrymantes morte peremptum
Marem ſicqve Patrem. Ceſſat & eſſe Pater!
Tollite ſed qveſtus, ad ſidera tollite vultus,
Eſt & erit VOBIS ſummus IOVA PATER.

Hac in honorem inextinctum memoriamq; laudabilem, piè defuncto, VIRO *Præcellentiſſimo, lugens appoſuit*

GODOFREDUS CHOLEVIUS, Eccl. Grembocinenſis.

CUncta ſuos repetunt ortus, matremqve reqvirunt
Inqve ſolum remeat, qvod fuit ante ſolum.
Non tamen enectò mors omnes corpore finit,
Fama ſed evictos effugit acta rogos.
Vivis adhuc, Nomenqve Tuum, Famamqve loqvantur
Luſtra renaſcentem: WENDIUS uſqve viges.
Caſibus exemptus dubiis, fatiſqve malignis,
Adſpicis in Cœlo jam ſine fine DEUM.

Honoris & conſolationis ergò appoſuit

JOHANNES HELD, P. Gurſk.

(O)